THESES PHILOSOPHICAE,

Quas

DEI Opt. Max. ductu, & auſpicijs,
ad diem Pridie Calend. AVGVSTI.
EDINBVRGI, in Æde Sacra Auſtrali,

Propugnabunt Adoleſcentes Magiſterij candidati, ex Academia
IACOBI REGIS, hoc anno 1626.
cum laurea emittendi.

Præſide (ſi velit Dominus) *IACOBO REIDO*,
Primæ Philoſophiæ Profeſſore.

EDINBVRGI,
Excudebat *Iohannes Wreittonus*, Typographus 1626.

ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMOQVE, D. THOMÆ HAMMILTONO, COMITI MELROSIÆ,

Domino de Binning, Regiæ Majeſtatis in Scotia Secretario, & in Magna Britannia Conſilario. &c.

Adoleſcentes Magiſterij candidati.

S.

OMNES prope, quodam veluti impetu, *quà itur*, rapi ſe ſinunt: nos, *quà eundum*, ad Te (Comes clariſſime) animo conſtanti properamus. Et quamvis verè eſſet in publica peccare commoda, Te huiuſmodi nugis nunc implicare, qui tot tantaque magnarum rerum negotia ſuſtineas; ſolita tamen tua, & per multos iam annos in Præceptorem noſtrum, eiuſq. diſcipulos, confirmata benevolentia effecit, ut ſpem & nos concipiamus maximam, Te, quâ modeſtiâ, quoque temperamento, & privata, & publica omnia moderaris: etiam has noſtrorum ſtudiorum primitias (parva licet & exilia) per etiũ & inſpecturum, & in Nominis tui patrocinium ſuſcepturum. Roſæ hieroglyphicum eſt, *mala bonitatis ope ſuperare*. Nam roſa quid aliud præ ſe ferat, dum virtute, conatuq; ſuo, depulsâ ſpinarum aſperitate, quæ floris tam elegantis amœnitatem, opprimere videbantur, pulcherrimam & fragrantiſſimam floris ſpeciem ex calicibus explicat. Tu MELROSIÆ Comes es. Tuas in roſas divina benignitas etiam mel deſtillavit, id eſt, copiam & affluentiam virtuti coniunxit tuæ. Macte igitur animo, perge pro conſuetudine tua, & vires, & virtutem, pro Religione, pro Rege, pro Lege exerere: Patriæq, incolumitatem, ope, & conſilio, magis magiſq; procurare, eiuſq; libertatem, in tantâ quanta nunc eſt rerum multarum confuſione, vindicare. Sic enim non ſolum animos bonorum, qui omnia de

Te

EPISTOLA DEDICATORIA.

Te bona ſperant, ac ſpirant, poteris tibi demereri: ſed nullus erit tam pertinax in pravitate conatus nulla tam gravis difficultas, quam virtus tua evincere, diſſipare, aut retundere non poſſit. Nam veriſſimum eſt illud Ariſt. Τὸν ἀλήθῶς ἀγάθὸν, καὶ ἔμφονα, ὡς τετράγωνον, πάσας οἰόμεθα τὰς τύχας εὐσχημονως φέρειν καὶ ἐκ των ὑπαρχοντων, ἀεὶ τὰ κάλλιστα πράττειν; καθάπερ καὶ τὸν στρατηγὸν ἀγαθὸν, τῳ παρόντι στρατοπέδῳ χρῆσθαι πολεμικώτατα.

Nos intereà (Vir Nobiliſſime) inter multa beneficia, quæ ex virtute tuâ uberrimè manare poſſunt, unicum hoc obnixe rogamus, ut Rempub. literariam ſemper promoveas: & præcipuè Academiam hanc, communem noſtram matrem & altricem, tuiq; ſemper ſtudioſiſſimam, quando licet, authoritate defendas, & benignitate foveas, ac complectaris. Nos propterea a fonte omnium bonorum Deo Opt. Max. omnem & tibi, & poſteritati tuæ fœlicitatem comprecabimur, & ſtemmatis gloriam nunquam interituram. Vale.

Alexander	*Cunynghamus.*	*Iacobus*	*Daeſius.*
Alexander	*Turnbullus.*	*Ioannes*	*Anderſonus*
Archibaldus	*Bryſonus.*	*Ioannes*	*Henricus.*
David	*Maczornæus.*	*Ioannes*	*Liddelius.*
Georgius	*Callendarius.*	*Ioannes*	*Lindeſæus.*
Georgius	*Humius.*	*Oliverus*	*Houſtonus.*
Georgius	*Iakſonus.*	*Patricius*	*Waddelius*
Georgius	*Touræus.*	*Patricius*	*Vrquhartus.*
Gulielmus	*Liſtonus.*	*Robertus*	*Gilmurius,*
Gulielmus	*Ramiſæus.*	*Robertus*	*Scotus.*
Gulielmus	*Turnbullus.*	*Thomas*	*Byrius.*
Gulielmus	*Trentæus.*	*Thomas*	*Lavius.*
Iacobus	*Brunæus.*	*Thomas*	*Murravius.*

THESES DE DISCIPLINIS IN GENERE.

QVORSVM *naturale lumen, unicuiq; consertum, congenitumq; à Deo hominibus illuxit, nisi ut ab eo ad ipsum Deum imprimis, & cognoscendum, & religiose colendum, dirigamur.*

1. Lumen igitur naturale quoddam erit rudimentum gratiæ, & philosophia naturalis, inchoatio quædã relligionis: nec Philosophia est, quæ hominem a relligione semovet.

2. Facilius itaque admittetur in divinæ sapientiæ abdita, acumen illius ingenij, quod in Philosophiæ, humanatumque disciplinarum studijs, quasi super cote, limatum est: seminaque divinæ Philosophiæ, in animo, studijs disciplinarum humanarum præparato, copiosius adolescent, & segetem fœcundiorem parient.

3. Non temere igitur Ægypti sapientes, Græcique antiquiores in disciplinarũ Encyclopædia, Theologiam, disciplinas humanas præsertim liberaliores, nimirum Philosophiam Naturalem, Moralẽ, & Metaphysicã vel Dialecticã, ambitu suo quasi amice complectentem, hieroglyphice nobis delinearunt.



4. Temere satis, falsè, ac rigidè satis perstringunt recentiores quidam Theologi disciplinas has liberaliores; dum earum famulitium (quod certe honorarium Theologiæ præstant) cum peniculis tantum inter dapes conferre non verentur, non erubescunt.

5. Quanticunque igitur sibi viderentur, qui humanam sic despicerent Philosophiam; tanta tamen lux est ipsius in vita Christiana, tantus usus in societate civili, ut *Aristippus* mallet esse Philosophus Christianus, quam Theologus Aphilosophus.

II. Hominem verè ingenuum esse dicimus, non quia libertatem habet, vel in judicio intellectus, vel in affectibus appetitus: sed contra ideo hac libertate fruitur, quia ingenuus est: ut cuivis accuratius perpendenti manifestum esse potest.

1. Ingenuitas igitur formaliter non est libertas aut judicij, aut affectuum, ut quidam non satis limati judicij, eam definiendam ac determinandam esse putant.

2. Quin igitur omni adversa opinione nihil obstante, tanquam verissimum etiam & nos tuemur, vere ingenuum esse, qui ad contemplationem mentis, & actiones virtutum appetitus propendet, aut in ijsdem habitu firmatur.

3. Hinc colligimus primo, virum quidem ingenuum societatem civilem conservatam, atque ornatam velle, etiam secundum omnes hominum gradus qui in societate requiruntur; Nam hoc Prudentiæ est seu Politicæ tanquam disciplinæ architectonicæ: minime tamen propterea omnes hos tanquam hominum ingenuorum gradus esse statuimus.

4. Secundo, Quum una tantum sit disciplina in genere, nempe Philosophia contemplativa, quæ mentem proximè ac plenè in ingenua cognitione, absolutè sic nominanda, informet; & una etiam sine dubio, nempe Philosophia Moralis quæ appetitum proximè reformet; solæ propterea Philosophia Theoretica & Practica disciplinarum ingenuarum nomine honestantur, sine quibus nullus revera ingenuus dici meretur.

5. Ideo nulla ars natura sua ingenua est, quod formam ingenuitatis impertiatur; licet variæ quod homine ingenuo dignæ, ingenuique hominis fini accommodatæ sunt, ingenuæ vocentur.

6. Quam lippientibus oculis cœcutiunt ad veritatem, qui inter cognitionem bonam, ad suosque usus experendam, & inter ingenuam discernere

discernere nequeunt: nam illam artibus suo modo tribuentes, hanc tamen omnibus denegamus.

III. Βαναυσον ἐργον δεῖ νομιζειν, καὶ τεχνὰς ταυτὰς καὶ μαθησιν, ὁσαι πρὸς τας χρησεις καὶ πραξεις τας τῆς ἀρετῆς ἀχρηστον ἀπεργαζονται το σωμα καὶ την ψυχην. 8. Pol. cap. 2.

1. Διο τας τε τοιαυτας τεχνας ὁσας το σωμα παρασκευαζουσι, χωρὶς διαλαμβανειν, βαναυσους καλουμεν, καὶ τας μισθαρνικας ἐργασιας: ασχολιαν γαρ ποιουσι την διανοιαν καὶ ταπεινην. ibid.

2. Quis Philosophorum qui vel hæc Latine reddere valet non agnosceret ex *Aristotele* artes quasdam esse βαναυσους, μισθαρνικας, καὶ ἀνιτικας etiam ex ipsarum natura & usu, non hominum exercentium vitio & abusu: quum de quarundam usu duntaxat, non abusu diserte ibidem Philosophus loquatur.

3. Qui artem sutoriam, fullonicam, textoriam, sua natura illiberales & sordidas esse dicunt, non in *Aristotelem* iniurioſi, sed doctrinæ ipsius assertores studiosi sunt: Metaph. β. β. Quamvis ultimo capite lib. 1. & primo cap. libri sexti Ethic. artes omnes virtutis nomine insigniat. Nam quædam artes, quæ respectu proprij finis ad civilem societatem, virtutes dici possint, alio tamen respectu, & aliarum virtutum, artiumque comparatione sordescere dicuntur.

4. Neque propterea proboſe admodum eas calumniamur artes, quas in *Aboliabo* & *Bezaliele* titulo donorum spiritus sancti insignivit *Moses*: Primo, quia omne bonum spiritus sancti donum appellare possumus, sed non omne donum ingenuum appellare necesse est: Secundo, quia de artibus ordinarijs, non extraordinarijs loquimur: Tertio, quoniam artes propria conditione illiberales, aliena tamen, & accidentaria, conditionem liberalium participare posse affirmamus.

5. Et tandem non humanæ societatis, sed sordium oſores sumus, qui non omnes homines ut sutores, cerdones, fullones, &c. sed tantum ingenuos, quos par est virtutem amplecti, & sectari, ab artium sordidarum studio, & exercitio revocare conamur.

IIII. Δει τὸν λογον ἀληθη εἶναι, καὶ την ὀρεξιν ὀρθην. *Ethic. cap.* 2.

1. Veritas igitur propria conditio est, & differentia rationis, & rectitudo appetitus: ex *Arist.*

2. Ratio igitur omnium habituum mentis proprie, non recta, sed vera debet appellari.

3. Artis igitur & Prudentiæ rationis utpote secundum ipsarum e-

etiam definitiones, ex Aristotele tantum veræ sunt.

4. Non tantum communis est ανεπισκεψια, sed specialis est quorundam αβλεψια, non agnoscere confusionem esse, dum rectam rationem cum vera, tam in artis, quam Prudentiæ definitionibus, communiter confundunt: in quibus nunquam Aristoteles rectam, sed semper veram rationem adhibet.

5. Et αρρωστια est της διανοιας, tam audacter asserere, Aristotelem, nunquam virtuti morali: raro appetitui: & ubique fere rationi, quæ cum arte, & prudentia conjuncta est, rectitudinē attribuere: cum omnia opposita, ex Aristotele evincantur, ut ex sequentibus patebit.

6. Vbique fere pronuntiat, virtutem esse secnndam rectam rationem, aut potius cum recta ratione. 6. Eth. cap. 1. & 13. 1. Mag. Moral. cap. 35. expresse autem 6. Ethic. cap. 12. virtutem, præelectionem rectam efficere testatur. Idem etiam est 6. Ethic. cap. 13. & 7. Ethic. 8.

7. Appetitus etiam expresse, ad differentiam rationis, rectus appellatur. 6. Eth. 2. & 7. Ethic. 9. Imo agere secundum rectam rationem constanter, tantum dicitur respectu obsequij appetitus: ut expresse 2. Mag. Moral. cap. 13. habetur.

8. Recta ratio, prudentiæ nunquam tribuitur, in ipsius definitionibus sæpe repetitis 6. Ethic. cap. 5. sed respectu conjunctionis ipsius cum virtute, & appetitu, vel επιθυμητικῳ, vel saltem βουλευτικῳ, qui cernitur etiam in incontinente ex Aristotele. 7. Ethic. cap. 8.

9. Denique, arti rectam rationem nunquam tribuit, nisi fortassis generaliter: ut in 6. Ethic. cap. 1. quemadmodum omnibus habitibus mentis, ex eodem loco tribui potest.

V. *Agere recta ratione, est, quando ratione carens animæ pars, non impedit ratione præditam operari.* 12. *Mag. Mor. cap.* 13.

1. Longe igitur diversa est rectitudo rationis, in habitu artis, (si qua in eodem concedatur) ab ea, quæ in Prudentia, virtutibus moralibus, earumque actionibus spectatur.

2. Vtut igitur duplex in idæa artis ratio distinguatur (nempe quatenus est simulachrum objecti, & forma regulans effectum) quæ reipsa, lippis, & tonsoribus nota est, dum per aliquod exemplar dicuntur operari: secundum rationem tamen regulandi, ratio artis non magis recta dicetur, quam ratio scientiæ, aut intel-

lectus

lectus, quatenus nimirum, etiam vera ratio scientiæ, regula falsæ rationis, & erroris esse potest.

VI. Ὁ νοῦς κατὰ τὰς ἀποδείξεις τῶν ἀκινήτων ὅρων καὶ πρώτων ἐστιν: ὁ δὲ ἐν ταῖς πρακτικαῖς, τῶν ἐσχάτου καὶ ἐνδεχομένου, καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως. 6. *Ethic.* 10.

1. Ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐστὶν ἐπ' ἀμφοτέρα. καὶ γὰρ τῶν πρώτων ὅρων καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστιν καὶ οὐ λόγος.

2. Non omnis intellectus est habitus principiorum universalium, aut necessariorum, sed aliquis & singularium, & contingentium esse potest.

3. Hinc colligimus primo, habitus semper veros, quandoque tantum rerum contingentium esse: 6. Eth. 6. adeo ut, non idem sit, habitum semper esse verum, & esse rerum necessariarum,

4 Colligimus secundo, in habituum enumeratione, intellectum definiendum esse, habitum principiorum in genere, prout ad principia scientifica, practica, & effectiva extenditur: si quinarium habituum numerum velimus tueri.

5. Dum igitur communiter cum Arist. in calce secundi Posteriorum, intellectus principium scientiæ vocatur, aut habitus principiorum indemonstrabilium; id de intellectu simpliciter, ac principaliter sic dicto, non autem secundum adæquationem, & in genere intelligendum est.

VII. *Habitus ex pluribus simplicibus compositus, & aggregatus, numerum simplicium augere non debet.*

1. Sapientia igitur prout est habitus, ex scientia, & intellectu actu conflatus, reliquorum habituum mentis conspecies non est.

2. Quare sapientia, in habituum recensione habitus quintus, (sicut cæteri) aliquis simplex esse debet, aliquod proprium sibi vendicans, per quod a reliquis distinguatur.

3. Quum igitur nequeat esse intellectus, Prudentia, aut ars, pro aliqua scientia accipietur, specialem aliquam prærogativam habente, ob quam sapentia dici meretur.

4 Quare quum Metaphysica, sola sit scientia universalis, omniumque prima, utpote habitus conclusionum ex principijs absolute primis, sapientia hæc erit sola Metaphysica.

5. Et sola propterea Metaphysica erit, ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων, ut sapientiam 6. Ethic. 7. definit.

6. Hinc deducimus Metaphysicam non magis esse ex intellectu & scientia conflatam, quam sit Physica aut Mathematica, quum in his non minus propria principia conclusionum Physicarum, & Mathematicarum considerentur, quam in Metaphysica considerantur principia conclusionum Metaphysicarum.

7. Non igitur respectu alicuius compositionis ex intellectu & scientia, Metaphysica magis sapientia dicetur, quam Physica, aut Mathematica, sed tantum respectu perfectionis, & eminentiæ cognitionis scientialis, ut explicavimus.

8. Idcirco recte *Arist.* sicut Metaphysicam sapientiam primam, ita & Physicam sapientiam quidem, sed non primam appellat, Metaph. γ. γ.

VIII. *Scientia inter habitus mentis ab Arist. definitur* ἕξις ἀποδεικτικὴ, ᾗ ὅσα ἄλλα προδιορίζεται ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς, 6. Ethic. 3.

1. Scientia igitur non aliter in doctrina posteriorum, & in habituum mentis recensione ab *Arist.* usurpatur.

2. Quare sicut in doctrina posteriorum, ita in habituum numeratione ad omnem scientiam proprie dictam sive de ente in universum, sive de entis aliqua parte extendetur, quamvis oppositum quibusdam etiam magni nominis Philosophis arriserit.

3. Ac proinde sub hac scientia etiam & Metaphysica comprehendetur.

4. Cum itaque Metaphysica etiam sit sapientia, aut eundem habitum, aut etiam genus, & speciem sub diversis membris ejusdem distributionis non quidem tam accuratæ quam communiter receptæ, pro absurdo comprehendi non reputamus, si ob diversam, bonamq; rationem id fieri dicatur.

IX. Ἀτελὴς ἁπλῶς ἐπιστήμη, ᾗ τροφὴ ἐπιστήμης Metaphys. a elat. γ.

1. Disciplinæ organicæ propria conditione non dant subiecti sui χρῆσιν sed ἐξ: utitur Nauta navi a fabro accepta non navigat faber.

2. Cum igitur Logica modum tradat duntaxat sciendi, aut opinandi in reliquis disciplinis, Logicus qua talis in aliarum disciplinarum terminis nihil probare, scire, aut opinari dicetur.

3. Idcirco Dialecticus extra terminos suos non per se, sed tantum per accidens dicitur differere, quatenus induit figuram Metaphysici, Physici, aut alterius artificis.

4. Metaph

4. Metaphysicus igitur (par ratio de cæteris scientibus) qui interminis differit Metaphysicis, sive ex probabilibus πρὸς δόξαν, sive necessarijs πρὸς τὴν ἐπιστήμην ratiocinetur.

5. Ex dictis inferimus, si aliqua χρῆσις dialecticæ ad ipsum spectat dialecticum, ea tantum fuerit, qua in terminis Dialecticæ, aut Logicæ proprijs h. e. instrumentis Logicis, & notionibus secundis disceptatur; quamvis hæc etiam suo modo ad Metaphysicam referri possint.

6. Vsus Logicæ licet ad omnia entia, & non entia extendatur, quatenus instrumenta ipsius omnibus accommodari possunt: ipse tamen logicus instrumentis in omnibus non utitur.

7. Logica igitur disciplina universalis est propter usum artificij, non artificis.

THESES LOGICAE

I

RELATIO *rationis deficit à veritate relationis realis in subiecto, in fundamento cum debitâ ratione fundandi, in termino: & nunc in pluribus, nunc paucioribus, vt communis est sententia scholæ Metaphysicorum.*

1. Non quidquid veritatem habet in relatis realibus, idem continuo, sed diversum potius de relatis rationis sæpenumero concludendum est.

2. Quamvis igitur relationes reales non terminent per se actionem naturæ, aut effectionem artis realem, bene tamen notiones Logicæ, quæ sunt relationes rationis, effectionem rationis per se, & proxime terminare possunt: quoniam relata realia fundamentum habent in re aliqua cujus productionem consequuntur, at notiones Logicæ hujusmodi fundamentum aut omnino non habent, aut nullum habent sufficiens cum proxime solum in aliqua denominatione extrinseca ab intellectu proveniente, fundentur.

3. Ergo Notiones Logicæ sunt proprie ποιᾶ, quum effectibile pro-

proprie sit, quod est terminus per se effectionis.

4. Latius patet effectio proprie dicta, quam effectio vera, & realis: quoniam illa rationis esse potest, alicuius etiam tantum objective in intellectu existentis.

5. Qui igitur ex definitione effectionis proprie dictæ, concludunt notiones esse effectibiles, vitiosum τὸ ἐξ ἀρχῆς αἴτημα non admittunt, dum nihil in quæstione pro concesso assumunt, sed ex irrefragabili, ac evidenti ratione, conclusionem deducunt.

II. Ἡ οὐσία ἐστι πρώτως ὄν. ᾗ ὂ τι ὄν, ἀλλ' ὂν ἁπλῶς. *Metaph. ζ. α.*

1. Ideo sola substantia est ὄντως ὄν, & solum accidens, ὄντως ὄν ex Arist. appellari debet.

2. Necesse est, in cuiusque accidentis ratione, substantiæ rationem inesse, ibid.

3. Accidentis universim sumpti, qua tale, conditio est, per additamentum definiri, non autem prærogativa proprij.

4. Neque inhærentia actualis, neque aptitudinalis, est de essentia accidentis, sed respectus quidam realis, & transcendentalis extra essentiam, afficiens & modificans substantiam.

5. Entia quædam absoluta, vere, realiter, & secundum esse, relata esse possunt.

6. Non omnia relata secundum esse, sunt prædicamentalia.

7 Neque omne relatum secundum esse, enti absoluto opponitur.

III. *Materia prima est substantia incompleta, sine controversia.*

1. Ad rationem igitur substantiæ completæ, non satis est continere in potentia substantiæ complementum: sed in actu.

2. Genus summum categoriæ substantiæ, substantiæ complementum actu includere debet.

3. Non igitur ratione constitutionis, vel Physicæ, vel Metaphysicæ (cum ex genere & differentia non componatur) sed respectu comprehensionis suæ, completa substantia vocabitur.

4 Genus includere in confuso perfectiones inferiorum, non est includere in potentia reali, ac vere passiva, qualis est materia prima: sed est includere in potentia Logica, ac secundum rationem.

5. Hæc igitur potentia non excludit, quin res concepta sit actu completa substantia, actuque includat quicquid ad tale complementum est necessarium: quamvis illud totum, tali conceptu distincte non cõcipiatur, sed confuse, per modum totalis & integræ substantiæ,

etiam

etiam ſubſiſtentis & completæ.

6. Hinc eſt quod differentiæ ſubſtantiarum, cum per modum formæ potius & alicuius adjacentis, quam per modum ſubſtantiæ, adeoque in quale, non quid prædicentur; non completæ, ſed tantum incompletæ ſubſtantiæ ſemper eſſe dicantur,

IIII. *Subſtantiæ incorporeæ, menteſq; abſtractæ in categoria ſubſtantiæ ab Ariſt. collocantur* I. *Etb.* 6.

1. Cur non etiam accidentia, quæ huiuſmodi ſubſtantijs vere tribuuntur, accidentia prædicamentalia dici debent.

2. Quare cum intelligentiæ, in ſe ſint numerabiles ſecundum prius & poſterius, quamvis a nobis, qui tantum in ſenſibilibus intelligendis directe & exquiſite verſamur, numerari & diſcerni non poſſint.

3. Numerus igitur ternarius intelligentiarum, ſicut hominum, vere prædicamentalis eſt.

4. Quamvis igitur numerus communiter intelligatur oriri, ex diviſione magnitudinis, aut rebus magnitudine præditis tribuatur, illud tamen de numero prædicamentali Phyſico, & principaliter a nobis intellecto, non autem ſimpliciter ſic dicto, & adæquato, intelligendum eſt.

V. *Eſſentia cuiuſque unneri eſt ipſum ſemel, veluti eſſentia ipſorum ſex, eſt, non ſi bis tria, aut ter duo, ſed ſi ſemel dicantur, ſex enim ſemel ſunt ſex. Metaph.* N. 18.

1. Ideo numerus quantus μοναδικὸς eſt, & ſolum ex unitatibus ſpectandus.

2. Nullus numerus eſſentialiter figuratus eſt.

3. Igitur figura tantum eſt accidens, & qualitas numeri, nulli numero per ſe, & ſolitarie, ſed pluribus certo quodam modo conjunctis, & compoſitis conveniens.

4. Numerus altera parte longior, aut cubicus, non ſunt numeri quanti, ſed quales, quos ſolidum & planum imitantur ex Ariſt. ibid.

5. Quadratum, cubus, & huiuſmodi figuræ, prius convenient numero, quam magnitudini: etiam ex Ariſt ibid. 1. Poſt. 8. text 75.

VI. *Motus ad contrarias qualitates, aut ad contraria loca, tam inter ſe differunt in ratione, & eſſentia motus aut mutationis, quam accretio & decretio, aut generatio & corruptio; ut cuivis diſtinctionem terminorum conſideranti, manifeſtum eſſe poteſt.*

1. Non plures ſunt ſpecies motus aut mutationis multiplicandæ in ſubſtantia, aut quantitate, quam in qualitate, ac Vbi.

2. Nulla urgente ratione duæ ſpecies in ſubſtantia, nempe Ortus & interitus, & duæ in quantitate, nempe accretio & diminutio: unica vero tantum in qualitate, nempe alteratio; & unica in vbi, nempe loci mutatio conſtituuntur.

3. Quamvis itaque in Poſtpræd. ex opinione communiter recepta, ſex mutationis, aut motus ſpecies eſſe dicantur, ſecundum accuratiorem tamen diſtinctionem, quatuor duntaxat ſpecies generales, ſecundum quatuor categorias, etiam ex Ariſt. conſtituimus, nempe mutationem in ſubſtantia, Quanto, Quali, & Vbi. 5. Phyſ. 2.

VII. *Infinitum non eſt negatio ſecundum Ariſt. de interp. cap. 2.*

1. Negationis ſimplicis, & infiniti nominis, idem ſenſus, eademque ſignificatio eſſe nequit.

2. Infinitum nomen qua tale, præter negationem finiti, neceſſario alicujus affirmationem importabit.

3. Imo principalius non niſi affirmationem formaliter ſignificabit: ſicut tam ex ipſo nomine, quam ex ipſius definitione, ſecundum Ariſt. apparet.

4. Quare quum *non imaginabile, non opinabile*, & hujuſmodi, nullam affirmationem includere, aut inferre queant, nomina infinita dici non poſſunt, non debent.

5. *Non Imaginabile, non opinabile*, &c. ſunt tantum finitæ negationes ſimplices.

6 Ex canone æquipollentiæ enunciationum, qui huiuſmodi nomina, infinita eſſe contendunt, mirifice decipiuntur: quoniam in illo canone, ne γεν quidem de attributorum infinitatione; ſed tantum de nota negandi nunc adjecta, nunc detracta attributis quarundam enunciationum loquitur.

7. Quare ex eodem canone, hæc enunciatio, *Petrus non eſt imaginabilis*, & hæc, *Petrus eſt non imaginabilis*, ſenſum plane eundem, & ſemper negativum habent: ſimiliter ex eodem canone, *Chimæra eſt imaginabilis*, & *Chimera non eſt non imaginabilis*, ſeu (quod eodem redit) *Chimæra non non eſt imaginabilis*, ſenſu affirmativo æquivalentè habent.

8 Sicut Ariſt. de Interp. cap. 10. dicit, μετατιθέμενα τὰ ὀνόματα καὶ τὰ ῥήματα ταυτὸν σημαίνουσι; ita & nos eius principijs aliunde edocti aſſerimus, notam negandi, ſive præpoſitam, ſive poſtpoſitam copulæ, formam

formam, & sensum enunciationis, quandoque nullatenus mutare.

XII. *Conversio enunciationis, est mutatio attributi in subiectum, eadem manente veritate, & forma: ut omnes definiunt.*

1. Falsa propositio convertenda non est.

2. Temere quidam, contra rectam rationem convertendi propositiones de impossibili, obtrudunt propositiones falsas duntaxat, præsertim cum veritas in simplicibus respectu conversionis modalium, non semper secundum existentiam terminorum, sed quandoque secundum non repugnantiam, mensuranda sit.

3. Et nodum in scirpo quærunt, qui negant hanc propositionem, *Impossibile est omnem hominem esse album*, non converti: quoniam huic æquipollet, *Necesse est aliquem hominem non esse album*, quæ non convertitur: quoniam prior illa tam falsa est, quam hæc posterior, imo magis illius falsitas apparet, ob utriusque terminiaffirmationem.

4. Imo quum conversio, ex natura sua singulis propositionibus aut convenit, aut non convenit directe: ridiculum est, & gratis pronunciatum, conversionem enunciationum in quibusdam modalibus, ex aliorum modorum æquipollentibus, indirecte inquirendam esse.

XIII. Α'ν δὴ ὑπάρχῃ ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. 1. Post. 2.

1. Cum conclusio necessaria sit propter principia, hæc erunt magis necessaria, quoniam illa dependens, hæc independens necessitas est.

2. Ergo aliquæ propositiones quæ tantum sunt κατὰ παντὸς, magis sunt necessariæ quam propositiones quædam καθ' αὑτὸ, atque etiam καθόλου: cuiusmodi est omnis propositio in demonstratione a causa externa, respectu conclusionis eiusdem.

3. Potest esse maior necessitas in propositione, in qua nuda tantum existentia terminorum spectatur, quam in quibusdam, in quibus nexus causalis, & definitivus intercedit.

4. Non hinc colligendum est, gradum κατὰ παντὸς, gradum καθ' αὑτὸ aut καθόλου, in necessitate excedere, quoniam hoc tantum per accidens ipsi contingit, propter necessitatem principij in se, non quia sit κατὰ παντός.

5. Inde tamen necessario deducendum est, aliquem esse necessitatis gradum, ultra eum qui καθόλου appellatur, quem sola principia sibi vendicant,

6. Quare Arist. in 4. cap. 1. Post. de gradibus tantum egit necessitatis, qui conclusionibus scientialibus accommodantur, de

nullis autem proprijs principiorum.

7. Ideo neceſſitas illa in capite ſecundo, intenſior, & principalior: in capite vero quarto, communior eſt.

THESES ETHICAE

I.

VERA ratio prudentiæ, eſt Idæa & repreſentatio actionis, in mente formata, ſecundum omnia quæ ad ipſius expreſſionem conſpirant.

1. Vera ratio prudentiæ, non in nuda mentis notitia ponitur, ſed voluntatem & prælectionem, cæteraque ad actionem conſpirantia requirit, 2. Eth. 4.

2. Hinc eſt, quod inter cæteras virtutes dianoeticas unica prudentia, habitus non cum ſola ratione eſſe dicatur ab Ariſt. 6. Eth. 4.

3. Vnde etiam eſt, quod non ita prudentiæ, ſicut cæterorum habituum oblivio contingat. ibid. nam prælectio & appetitus, non oblivione, ſed perturbatione pervertuntur.

II. Η' ἀρετὴ τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθὸν, ἡ δὲ φρόνησις, τὰ πρὸς τοῦτον. 6. Eth. 12.

1. Ideo ad agendum, prudentia & moralis virtus una conſpirant.

2. Et actio moralis per prudentiam & virtutem cõſummatur. ibid.

3. Hinc eſt quod nemo virtute præditus, ſine prudentia: neque prudens ſine virtute eſſe queat. 6 Eth. 13.

4. Vnde fit, ut nedum virtus prudentiam: ſed contra, prudentia virtutem ſequatur, adeo ut ſibi invicem cauſæ eſſe poſſint.

5. Annon igitur erunt ſimul naturâ? ut utrum prior ſit prudentia, an virtus ethica, nequeat determinari.

6 Annon etiam propterea, mutuas cauſas quædam arguere dicentur, quæ vere relata non ſunt?

III. Κακία ἐστὶ παρὰ τὴν προαίρεσιν, ἡ δὲ ἀκρασία κατὰ προαίρεσιν ἐστι. 7. *Eth.* 8.

1. In incontinente est προαίρεσις οὐθὲν, sed in vitio non est προαίρεσις simpliciter sic nominãda, nã cum ipsa ratione prælectio depravatur.

2. Quamvis igitur non appetitus ἐπιθυμητικὸν, βουλευτικὸν tamen rectitudo, manet in incontinente.

3. Rectitudo rationis illi, ab hoc appetitu tribuitur.

4. Ὁ ἀκρατὴς ἀκολάστικός ἐστι παρὰ τὸν ὀρθὸν λογον, quia ἀκολαστικὸς est παρὰ τὴν ὀρθὴν προαίρεσιν, ob perturbationem, & cupiditatem.

5. Potest igitur aliquid esse secundum prælectionem bonam, quod tamen præter prælectionem, rectamque rationem fieri dicetur.

6. Nulla igitur necessitate ratio, propria conditione recta vocabitur, & non respectu alicuius appetitus, quamvis Arist. rectam rationem indigiteet in incontinente, in quo non est virtus, aut rectitudo appetitus tantum concupiscibilis.

IV. *Tunc virtutem esse dicimus, quando bene affecta ratio convenit cum animi perturbationibus bene sese habentibus, & perturbationes cum ratione 2. Mag. Mor. 13. vitij autem ratio plane opposita est.*

1. Hinc inferimus primo, sicut non male uti virtute propria, ita nec bene uti vitio possibile est.

2. Secundo, per virtutem omnia bonarum actionum principia conservantur, & per vitium perverruntur. 7 Eth. 8.

3. Hinc sequitur neque continentem esse virtute præditum, neque incontinentem esse vitiosum: in neutro siquidem ratio pervertitur, & cupiditates in utroque sunt vitiosæ. 7. Eth. 8 & 9.

V. Καὶ ὁ ἀκρατὴς καὶ ὁ ἀκόλαστος, τὰ σωματικὰ ἡδέα διώκουσιν, ἀλλ' ὁ μὲν οἰόμενος δεῖν, ὁ δ' οὐ οἰόμενος. 7. Eth. 9.

1. In incontinente cupiditas non obtemperat rationi, in intemperante tamẽ & vitioso, cupiditas rationi obtemperat.

2. Non igitur est vitium quando cupiditas vitiosa pugnat cum ratione, si recta fuerit: sed vitium est, quando cupiditas vitiosa cum ratione non pugnat, si fuerit depravata.

1. De solo incontinente verum est illud, *video meliora, probeque, deteriora sequor.*

2. Ἰσχυρογνώμονες καὶ ἰσχυρογνώμονες, qui in quavis ratione, aut sua sunt pertinaces, & non ratione mutantur, sed cupiditatem ac voluptatem sequuntur.

3. In solo igitur vitio, ratio pervertitur & depravatur.

4. Et hinc est, quod apud Arist. vitium latere, incõtinentia autem non latere dicatur. 7. Eth. 8.

incontinentibus, quam continentibus similiores sunt ex Arist. 7. Eth. 9.

3. Imo, quia veram quandoque repudiant rationem, & in alia quavis, aut sua pertinaciter persistunt: incontinentibus deteriores, & improbis similiores sunt.

VI. *Vera amicitia est proborum, mutuus, conspicuus, confirmatusque amor.*

1. μονώταις, & solitarijs, non convenit amicitia,

2. Nihil tam conveniens est amicis, quam simul vivere. *ibid.*

3. Absentia diuturnior potest amicitiam violare.

4. Vnde illud, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. ibid.

1. Vera amicitia, & utilis est & jucunda, neq; tamen ob utilitatem, aut voluptatem, sed solum honestum contrahitur. 8. Eth. 4.

2. Idcirco bonorum duntaxat amicitia, vera & perfecta est. 8 Eth. 3.

5. Nec pravi pravis, nec boni pravis, nec neutri quibusvis vere amici esse queunt. ibid.

6. Atque hinc est, quod vera amicitia quæ tantum est inter bonos: sola constans, & calumniæ non obnoxia esse dicatur. ibid.

7. Ideo absentia (nisi diuturnior fuerit) ipsam amicitiam dissolvere non debet, licet actus quosdam interrumpere, aut tollere posset. ibid

THESES PHYSICAE

I.

VNA & eadem est numero materia in genito, & in corrupto, ex vnanimi Philosophorum consensu.

1. In rerum generabilium, & corruptibilium successione, una eriam numero materia, potest esse sub formis genere distinctis.

2. Nulla igitur forma, vel numerum dat ipsi materiæ, secundum pro-

propriam entitatem consideratæ, aut in rerum natura cohærenti.

3. Cum unitas numerica & realis, sine existentia esse nequeat, etiam propriam existentiam a forma non dependentem habebit prima rerum materia.

4. Quamvis igitur una & eadem portio materiæ plurimas in sese successione formas recipere possit, non tamen propterea, plurimas mutabit existentias, sed una & eadem sub omnibus etiam existens esse dicetur.

5. Cum itaque existentia sit tantum modus ipsius rei, ab ea non realiter distinctus, sicut res aliæ completæ, aliæ incompletæ sunt; ita & existentia alia incompleta, alia completa dicetur.

6. Materiæ igitur & formæ existentia, partialis & incompleta: compositi vero, completa & totalis est.

7. Datur existentia in rebus, distincta a formali, quæ tantum compositi est.

8. Differunt igitur existentia formæ, & formalis.

9. Et longe differunt, aliquid in rerum natura existere simpliciter, & complete, ac formaliter existere.

11. Βαρύτατον τὸ πᾶσιν ὑφισάμενον τοῖς κάτω: κουφότατον δὲ τὸ πᾶσιν ἐπιπολάζον τοῖς ἄνω φερομένοις. 1. de Cœl. 3.

1. Ἁπλῶς μὲν οὖν λέγομεν τὸ ἄνω φερόμενον, καὶ πρὸς τὸ ἔσχατον: βαρὺ δὲ τὸ ἁπλῶς κάτω, καὶ πρὸς τὸ μέσον. 4. de Cœl. 1.

2. Terræ igitur solum naturale, ad locum infimum moveri: & igni ad locum supremum, in ijsdemque manere. φύσει φύσει, καὶ μένει ἐν τοῖς οἰκείοις τόποις ἑκάτερον τῶν σωμάτων. 4. Phys. 4. text. 30.

3. Terra non majorem habet propensionem ad quietem, in infimo loco, quam ignis ad motum, in supremo.

4. Sicut motus in orbem, igni præter naturam propriam tribuitur, cur non similiter & terræ quietem, præter naturam propriam tribui, omnino putandum est?

5. Natura terræ tantum motus, non quietis ipsius, principium & causa est.

6. Et terra tantum mobilis, non immobilis est sua natura, ac conditione naturali.

7 Cum itaque omnis quies, etiam qui motum naturalem sequitur, eiusdem motus privatio sit: natura ut quietem proprie non expetit, ita nec eandem intendit.

8. Vnde

8. Vnde inferimus primo, longe inter se differre, unumquodque in suo loco naturali manere, & in eodem quiescere: nam illud omni corpori naturali naturale est, hoc nulli corpori naturali naturale est.

9. Inferimus secundo, naturam nihilominus, etiam principium & motus & quietis dici copulative, si quies fundamentaliter non formaliter, hoc est pro ipsa possessione ac fruitione formæ ac termini, non simpliciter pro motus privatione accipiatur.

10. Atque hoc sensu, idem est κινεῖσθαι καὶ ἵστασθαι, & idem est κινεῖσθαι καὶ ἠρεμίζεσθαι ex Arist. 6. Phys. 8. text. 67.

11. Atque hoc etiam sensu, acutissime dixit Arist. εἰς τὸν αὐτὸν τόπον φέρεσθαι ἕκαστον, εἰς τὸ αὐτὸ εἰδός ἐστι φέρεσθαι. 4. Cœl. 3.

12. Eodem denique sensu, natura non solum efficiens, sed & finis est cujusque motus naturalis. ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις, ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν. 2. Phys. 1. text. 14.

III. Ἀγεράντον, ἀναλλοίωτον, καὶ ἀπάθες ἐστὶ τὸ πρῶτον τῶν σωμάτων. 1. de Cœl. 3. text. 22.

1. Natura cœli tantum est principium motus localis in eodē, ex Arist.

2. Vnicus localis est reciprocus cum natura, atque adeo cum corpore naturali in genere.

3. Motus igitur in genere sumptus, non est affectio corporis naturalis,

4. In definitione naturæ non motus in genere, sed localis præcipue intelligendus est.

5. Actus mobilis qua mobile, motus quidem in genere; non tamen affectionis definitio erit, nisi ad localem restringatur.

6. Motus in genere, non aliter cum corpore naturali, quam sensitivum cum animali propter unicum tactivum reciprocatur.

IV. *Infinitum est* οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστὶ. 3. Phys. 6. text. 62.

1. Ergo infinitum proprie, termino intrinseco destituitur.

2. Et consequenter lege oppositorum, omne finitum, terminum intrinsecum utrinque continebit.

3. Quare quum omnis motus respectu magnitudinis finitæ, finitus sit & continuus; omnis motus (sicut cætera continua) non in fine solum, sed etiam in principio intrinsece terminabitur.

4. Idcirco mutatum esse, non est terminus motus simpliciter.

5. Neq; τὸ φερόμενον, neque διαίρεσις κινήσεως, licet vere, pro

prie

prie tamen motus simpliciter termini sunt: nam illud tantum motui locali, hæc omni quidem, sed tantum per Metonymiam tribuitur.

6. Nos igitur ab ipso etiam Arist. 6. Phys. 10. text. 88. instituti, omnium fortassis nunc primi (dicto absit invidia) terminos motus simpliciter indivisibiles, qui puncto in linea, & momẽto in tempore simpliciter respondent, planius ac plenius designantes, κινήματα vocamus.

V. *Natura comparatum est, ut graviora vbique levioribus subsint in universo, ut experientia notum est.*

1. Hinc sequitur elementa media, præsertim quæ & gravia & levia sunt, in omni loco & gravitare & levitare posse, tam suo quam reliquorum elementorum; reliquis sublatis, aut per vim maiorem extra locum naturalem constitutis.

2. Non solum aqua, sed etiam aer, nec tantum ut nunc miscentur, sed etiam in puritate existentes, sponte sua, & ad centrum, & ad cœlum, etiam sine metu vacui ferri possunt.

3. Non solum igitur ad repletionem vacui, sed etiam expulsionem pleni, præter naturam propriam, ex inclinatione tamen naturali elementa ferri possunt.

4. Hinc duplex est potentia elementis insita, una specialis ad sui conservationem, alia universalis & obedientalis, ad conservationem vniversi: per priorem, locum definitum ac specialem: per posteriorem, nullum definitum locum in universo exposcunt; sed hanc tanquã inviolabilem legem observant, ut ad ordinem universi conservandum, graviora levioribus subsint.

5. Non igitur ab alia forma sursum movetur aer ad suum locum, & ab alia deorsum ad locum terræ, si ibi aut vacuum aut ignis esse ponatur; sed ab eadem diverso fine, uno, ad conservationem sui, altero, ad vniversi concentum, ordinem, ac unionem conservandam.

VI. Ἐάν τις μεταθῇ τὴν γῆν ἢ νῦν ἢ σελήνη, οὐκ οἰσθήσεται τῶν μέρων οὐκ ἄστον πρὸς αὐτὴν, καὶ ἀλλ' ὅπου περ καὶ νῦν. 4. de Cœl. 3.

1. Partes non moventur ad totum, sed ad locum naturalem.

2. Locus igitur naturalis vim habet attrahendi, & conservandi locatum.

3. Cum itaque locus gravium sit centrum vniversi, an punctum illud, quod in vniversi medio, sola imaginationis vi comprehendi potest, aut saltem nihil est realiter a magnitudine separatum; corpora gravia ad se attrahere, eademque conservare dicetur.

4. Certe subtilius contemplanti, mirabilior videri debet terræ descensus totius ad punctum illud; quam accessus ferri ad lapidem Heracleum: Et tamen quærimus, (inquit subtilissimus Scaliger) quam ob causam res ad rem appellat sese, id est ferrum ad magnetem: quare autem terra ad id quod nihil est moveatur, non quærimus.

5. Idcirco in plurimis non ipsius rei in ipsa natura subtilitas, sed imbecillitas nostra admirationem parit.

VII. *In animalibus præsertim oviparis vernimus, & experientia cognoscimus, ova tantum fœminarum quæ a maribus patiuntur, non marium, sed fœminarum duntaxat tam eiusdem quam diversarum specierum incubatione, pullos generari: vt in gallinis, anseribus, anatibus &c. apparet.* 1. *de gen. animal.* 21.

1. Hinc circa naturalem generationem, varia licet colligere primo, si generatio in pulli solũ productione esse ponatur, virtus (ut loquuntur) seminaria parentum præcipue maris, efficiens duntaxat est, quod ad ipsam formæ eductionem attinet.

2. Secundo, fœmina materiam aliquam suppeditare, ceu alimentum conferre, ac suo calore naturali semen fovere dicitur pro efformatione fœtus.

3. Tertio, generatio univoca appellatur, non respectu animalis incubantis aut partum exerentis, sed semen ipsum tribuentis præcipue maris.

4. Animal incubans & extrinsecus fovens, causa æquivoca dici potest.

5. Non omnis causa æquivoca, dignitate & perfectione est nobilior effecto ex necessitate.

6. Neque omnis causa æquivoca, virtute & eminentia aliarum specierum perfectiones continet, sed tantum æquivoca communis & cœlestis.

VIII. *Semen & materia & efficiens est tanquam artifex, in generatione viventis, ex Arist.* 1. *Phys.* 7. *text.* 2. 2 *Phys.* 3. text. 31. *Metaph.* ζ. 9. text. 31. 1. *de gen. anim.* 21.

1. Semen igitur non est corpus uniforme, sed partibus dissimilibus, alijs subtilioribus, alijs crassioribus constans, & respectu subtiliorum agens tanquam artifex: crassiorum vero patiens, tanquam materia vocatur.

2. Cum itaque naturalis viventium generatio, in plantis & animalibus

libus brutis, sine contraversia univoca sit, non tanquam instrumentum, sed causa principalis agit in generatione.

3. Plantarum igitur & brutorum semina erunt actu animata.

4. Hinc cum Scaligero, in naturæ subtilitatibus exercitatissimo, multa quamvis paradoxa gestit animus tueri. Primo, semen oleæ, olea est: & semen canis, est canis; sed imperfectus, carens tantum articulationibus.

5. Secundo, forma canis dicitur esse in potestate seminis ipsius, quia semen est potens dare formam quam in se continet.

6. Tertio, forma canis educitur e potentia seminis, non secundum actum primum, sed secundum duntaxat. Est enim ipsa forma anteexistens, ergo non ad eam pervenitur, sed ad eius actum, quo ipsius deinceps usum capescere possit.

7. Quarto, primæ actiones animæ in semine, quæ proxime potentiam ipsius sequuntur, sunt conformatio & dispositio membrorum, vt postea in conformata & disposita membra actiones aliæ recipiantur, vt operationes & sensus perfectiores.

8. Anima seminis sine instrumento sui domicilij, architecta est. Nulla enim qualitas homini nota, potest esse instrumentum ordinationis, situs, numeri, & figuræ partium corporis organici: quamvis secretionis aut concretionis: densationis, aut rarefactionis: extensionis, aut contractionis: asperitatis, aut levitatis: duritiei, aut mollitudinis: qualitates primæ instrumenta esse possunt.

9. Generatio pure naturalis, nulla est alicujus formæ de novo productio, sed tantum redactio formæ ad actum, seu promotio tantum ad officia exercenda.

10 Generat igitur arbor quum producit semen, non autem generatur, quum pullulat e semine. Sic canis non gignit cum nascitur catellus, sed cum semen gignit.

11. Neque hinc sequetur, canem parentem animarum plenum esse, quia unam tantum habet, quæ plurium sufficit generationi: sicut in ramis oleæ in quibus multæ sunt taleæ, unica tantum anima est a qua multæ.

12. Et sicut una anima in accretionibus, induit sese in alimenti novam ac multiplicem materiam, eamque informat & cum materia præexistente unitur; cur non potest eadem anima, quæ tantum materialis est, in multas cum materia lese promovere in generatione.

13. Vtut omnia prædicta sese habere possint, concludimus tamen animam rationalem ex Arist. etiam cæteris diviniorem, in semine non sic propagari, sed defectum animæ generantis in semine per immediatam ipsius Dei actionem, tum in ipsius corporis efformatione, tum præsertim in novæ formæ creatione, suppleri.

14. Ac proinde his suppositis, hujus propositionis veritati, *Homo hominem generat*, fidem renunciamus, quamvis omnes fere communiter reclament; & plerique frustra in eius defensionem multa effutientes, miserrime sese excrucient.

THESES SPHAERICAE

I.

QVARTÆ Zodiaci a quatuor punctis Cardinalibus in Sphæra recta: duæ autem medietates eiusdem, & Æquatoris conterminales, a puncto æquinoctialis inchoatæ, in Sphæra obliqua ascensionibus suis adæquantur: ex Sacroboſco.

1. Datur ortus Astronomicus partium Zodiaci, qui neque rectus, neque obliquus est.

2. Ortus Astronomici divisio in rectum & obliquum, secundum determinationem Sacroboſci æquata non est.

3. Ortus igitur Astronomicus, in rectum obliquum, vel neutrum secundum æquatam divisionem tribuetur.

II. *Luna in inferiore parte Epicycli celerius movetur quam superiore. In declinatione ac latitudine borealibus, propinquior est Zenith eorum qui habitant ad septentrionem, quam in australibus: Et in signis recte descendentibus multo altius eminet supra horizontem, quam in signis descendentibus obliquè, ut observantibus notum est.*

1. Pro concursu, aut defectu harum causarum, populis ad septentrionem nunc citius, nunc tardius, post conjunctionem Luna apparet.

2. Adeo

2. Adeo ut ſi omnes tres concurrant, in ipſo die conjunctionis: ſi omnes deficiant, non niſi in quarto: ſi quædam concurrant, & aliæ deficiant, pro concurſus & defectus varietate, nunc ſecundo, nunc tertio die poſt conjunctionem luna conſpiciatur.

3. Hinc quamvis in eodem die, vetus mane, & nova veſperi appareret, licet imperitæ multitudini, ſapientibus tamen rarum quidem, ſed mirum ne videatur.

III. *Luna motum habet eccentrici periodicum tanquam ſibi proprium ac naturalem, habet etiam motum in Epicyclo: habet tertium (vt videtur) maxime proprium motum, circa proprium centrum, ob apparentium maculas rum ſitum conſtantem, ſecundum Aſtronomorum poſitiones.*

1. Annon uni corpori ſimplici, plures & diverſi motus ſimplices & naturales tribuuntur?

2. Cum igitur Ariſt. 1. de Cœl. 2. text. 10. reputet pro impoſſibili, plures motus uni ſimplici naturales eſſe, tantum de inanimato non animato intelligi debet. ὁ δ' ἐμψυχος, ἓν ἔχει κινήσεως ἀρχήν. 2. de Cœl. 2. text. 13.

3. Sicut igitur corpus ſimplex, quod a natura ad ſui perfectionem movetur, non niſi unum requirit motum, ſic quod non ad ſui, ſed aliorum perfectionem a mente cietur, plures & naturæ convenientes participare poteſt.

IIII. *Centrum Sphæræ eſt punctus Sphæræ medius, & a quo ad circumferentiam omnes rectæ ſunt æquales.*

1. Ad propriam & eſſentialem centri ſive Mathematici, ſive Phyſici rationem, duo ſolum requiruntur: unum, ut ſit punctus, ſive ſimpliciter, ſive comparatione: alterum, ut ſit in medio ſphæræ.

2. Immobilitas igitur quamvis centro neceſſaria ſit, non conſtituit, ſed ſequitur duntaxat rationem centri.

3. Et immobilitas centri non motus ſimpliciter, ſed ſolummodo recti negationem, aut privationem importat.

4. Quamvis igitur Terra univerſa Phyſicum centrum ſit ipſius cœli, hoc tamen non prohibet quo minus ipſi, ſuper centro & axe ſuo immobili circumgyrationem tribuamus.

5. Sicut ergo prius in Phyſicis, motum terræ circularem diximus gravitati ipſius non adverſari, quatenus eſt corpus naturale: ita nunc in Aſtronomia, neque conditioni ipſius, quatenus Phyſicum centrum eſt vniverſi, repugnare affirmamus: adeo vt, &

qua corpus naturale in ſuo loco exiſtens, & qua centrum Phyſicum vniverſi poſſit moveri.

6. Neq; ie propterea aliquis rigidioris cenſuræ, nos hic contrarium aliquod ſacris literis protuliſſe, jure ullo criminabitur. Primo, quia loquimur tantum ex ſuppoſitione. Secundo, quia dicimus litteras ſacras interdū de rebus quibuſdam naturalibus, quarum cognitio neq; ad aliquem fidei articulum, neque pietatem quicquam pertinere videtur, ad ſenſum loqui: & ad captum etiam imperitiorum ſeſe accommodare. Sic etiam Solem ac Lunam, luminaria magna appellant ſcripturæ, cum tamen Luna omnium fere ſtellarum minima ſit.

7. Imo, a ſacris literis per latum unguem in veritate non deflectimus, dum cum Pſalmo 104. aſſerimus Deum, fundaſſe terram ſuper baſes ipſius, hoc eſt centrum & axin immobilem ne dimoveretur in ſeculum.

V. *Iuxta accuratiſſimas Copernici, & Tychonis obſervationes, Terræ nonunquam Mars acronychus, ipſo Sole propior deprehenſus eſt, ut refert Origanus, introductionis ſuæ parte ſecunda de motibus.*

1. Mars igitur non poteſt in orbe ſupra Solarem totaliter elevatum, juxta Sphærarum ordinationem communiter receptam, perpetuo deferri.

2. Vel igitur neceſſe eſt, obſervatoribus his accuratiſſimis nuncium faciamus, vel cogamur dicere cum Origano orbem Martis, magnam in oppoſito Solis, ab illius orbe partem auferre; ita ut quandoque intra craſſitiem orbis ſolaris deferatur: vel aliam hujus phænomeni rationem inquiramus.

3. Cum igitur res admodum perplexa eſſe videatur, ad liberum ſtellarum ortum inclinantes, aut circa eundem aſſenſum adhuc ſuſtinentes, cum Ariſt. Metaph. α. ελαττ. α. profitemur; vt veſpertilionum oculi ad lucem ſolis, ſic noſtram mentem ad res natura manifeſtiſſimas ſeſe habere.

VI. *Prope æquinoctiorum tempus, incrementa ac decrementa dierum, majora ſunt æqualibus temporibus, quam prope ſolſtitia, ut experientia patet.*

1. Hinc eſt quod vernalibus atque autumnalibus diebus, exiguis temporibus inſignes fiant diebus acceſſiones, aut detractiones: æſtivis vero atque brumalibus, perexiguæ.

2. Adeo ut dies ſtatum quendam magnitudinis & parvitatis, æſtivis, & brumalibus menſibus adepti, in eo perſiſtere aliquanto diutius

diutius manifeſte deprehendatur.

3. Quare ex dictis manifeſtum eſt, Solem in receſſu ab Æquatore, æquis temporibus minora ſemper ſpatia conficere; in acceſſu vero, maiora.

4. Vnde eſt, quod ſolſtitiorum Tropici appellationem obtineant, quod æſtivo brumalique initio circa Tropicos Sol ſtare, & nec progredi, nec regredi longo tempore videatur.

5. Vnde etiam concludimus, motum Solis in acceſſu ad Æquatorem, aut receſſu ab eodem, uniformiter difformem eſſe; quoniam per æqualia intervalla, inæqualia quidem, ſed proportionalia incrementa vel decrementa fiunt.

VII. *Domum ſupra ſecundam aeris regionem elevatam & ex adverſa ſui parte a Sole ſupra radiante, per plurimas feneſtras patentem, aſſerere intus nullum lumen habere, εἰ μηγα λιαν αἰτημα, nec veriſimile eſſe videtur.*

1. Non igitur putandum eſt ἔξω τῦ φωτὸς omne lumen per reflexionem, ſed aliquod etiam per transfuſionem eſſe poſſe.

2. Ac proinde dicimus, ſicut omne corpus calidum tranſmittit calorem, ita omne corpus illuminatum quantumvis ſubtile, in loca vicina lumen aliquod transfundere.

3. Quamvis igitur in aere craſſiore terram proxime ſtipante, crepuſculum ſit evidentius, aliquod tamen licet magis minutum tam lumine, quam duratione, quamvis ſubtilis eſſet aer, futurum arbitramur.

4. Reflexio igitur luminis ab aere qui terram proxime circundat, æquata cauſa crepuſculi eſſe non videtur, quamvis communiter omnes Optici aliter exiſtiment: ſed etiam luminis transfuſio ab aere proximo qualicunque Sole illuminato, idem efficere poteſt.

THESES METAPHYSICÆ

I.

Deus omnia est, & perfectissime, & eminentissime est omnia.

1. Igitur cum a rebus omnibus, & quæ sub quoq; genere est, imperfectionem, & sui generis particularitatem elimaverimus; cum etiam nomina concretionem, aut participationem significantia, & omnem capacitatē Deum cognoscendi ex intelligentia nostra abdicaverimus: id certe quod remanet, Deus est.

2. Hinc quatuor sūt gradus per quos ad Deum cognoscendum ascendere quidem possumus, sed pervenire non possumus. Per primum, omnium creaturarum perfectiones absq; imperfectione aliqua, in gradu perfectissimo Deo tribuimus: accipe cognitionem. Illius cognitio non est sensualis, quæ organo eget corporeo, & accidentia tantum rerum attingit, non substantiam: non est humana, quæ eget phantasmate, incerta etiam, vaga, ac laboriosa est: Non

1. Deus licet in seipso supra omnia exaltatus, suæ inhabitet divinitatis abyssos; per omnia tamen diffunditur, in omnibus invenitur, in aliis perfectius, in aliis imperfectius, pro rerum ipsarum perfectione.

2. Licet igitur Deus simpliciter, & in suo esse, magis distet a rebus creatis, quam ipsæ inter se, secundum ea tamen quæ de Deo ex rebus creatis intelligi possunt, & secundum nostrum concipiendi modum, non repugnat Deum convenire cum creaturis in communi aliqua ratione objecti scibilis.

3. Et juxta hanc rationem, modūq; Deum ex creaturis intelligendi, maior inter Deum, & creaturas invenitur convenientia, quam inter aliquas creaturas inter se.

4. Cum igitur hujusmodi alia esse non posset, quam abstractio ab omni materia secundum esse

est Angelica, quæ extra se quærit, quod intra se plene non possidet. Accipe vitam. Illius vita non est corporis animati, quæ non est pura, sed semper fluens, imo mors potius quam vita vocanda: Non est vita perfectior intelligentiarum, quam nisi perenniter vivificus lucis divinæ radius foveret, in nihilum tota dilaberetur. Eadē ratio in cæteris: sed vita & cognitio quæ Deo adscribuntur, his omnibus detrimentis libera & perfectissima intelligitur.

3. Per secundum gradum in unitate ac simplicitate, perfectio omnimoda Deo tribuitur. Sic vita creaturarum tantum vita est, non cognitio, & cognitio non vita est: vita est ens quoddam, cognitio item ens quoddam pariterque cætera: sed vita Dei non est vita tantum, sed sapientia, sed justitia, & sapientia non est tantum sapientia, sed vita, sed justitia. Idcirco ipse Deus non hoc aut illud ens erit: sed ipsum ens, sed simpliciter ens, sed universale ens, non universalitate prædicationis, sed perfectionis, unitatis ac simplicitatis.

4. Per tertium gradum a divinis etiam nominibus, omnis macula, quæ ex rerum est significatarum concretione, aut participatione purgatur. Sic creatura tantum est ens, non entitas: unum non unitas: bonum non bonitas: vivens non vita: sapiens non sapientia. At Deus non ens, sed super ens; super unum, super verum, super bonum est: quoniam ipsa entitas, ipsa unitas, ipsa veritas, ipsa bonitas est.

5. Per quartum demique gradum, infinitam in Deo perfectionem esse quæ Metaphysica est; Ideo Deum cum reliquis ab omni materia abstractis secundum esse, ad solam Metaphysicam scientiarum humanarum propterea divinissimā, tanquam speciale, maximeque principale ipsius obiectum revocamus.

5. Adeo ut mentium abstractarum consideratio sit, quæ specialem & propriam Metaphysicæ partem constituere dicatur.

6. Hinc est illud Arist. Met. 1. 4. si non essent Primæ substantiæ & immateriales, Physica foret scientia, ac Philosophia prima.

7. Non igitur solius entis in genere, sed etiam specierum analogarum ipsius, hoc est substantiæ & accidentis in communi, contemplatio ad communem Metaphysicæ partem suo jure spectabit, licet omnes fere Metaphysici recentiores reclamare videantur.

adhuc ſolum admirantes, nec ex infirmitate noſtra eam aſſequentes, profitemur eſſe ipſum, & non intelligibiliter, & ineffabiliter, ſuper omne id, quod nos de eo perfectiſſimum vel loqui poſſumus, vel concipere: Ideo ſuper ipſam etiam quam conceperamus entitatem, vnitatem, veritatem, bonitatem, Deum eminentiſſime collocamus.

6. Meritiſſimo igitur quoniam Deus poſuit tenebras in circuitu latibulum ſuum, ut canit Propheta, in luce & ſcientia noſtra, ut tenebris tantum verſantes, & ad lucem tenebrarum ipſius avide proſpicientes, cum eodem clamamus, *Defecit anima noſtra, deſiderio veniendi ad atria tua.*

7 Ex his deductione neceſſaria, & evidenti colligimus, Deum nullius ſcientiæ aut humanitus, aut divinitus traditæ limitibus tanquam ſubjectum, aut adæquatum aut non adæquatum, poſſe comprehendi, poſſe coerceri.

Merito igitur Deum prout in ſe eſt cognoſcendum, ob eminentiam dignitatis ſuæ, non modo a Metaphyſica, ſed omni etiam humana aut angelica ſcientia exterminamus.

9. Ideoq; unicum Deum glorioſum, ſui ſcientem eſſe affirmamus.

II. *Proprietates quæ rerum eſſentiam conſequuntur, in vnita eſſentia, non exiſtentia radicem ſuam habere dicuntur.*

1. Hinc eſt quod ſcientiæ ab exiſtentia rerum præſcindant, & res ſecundum eſſentiam, non exiſtentiam contemplentur.

2. Ens igitur quatenus objicitur Metaphyſicæ, non quod exiſtentiam (quæ extra eſſentiam eſt entis creati) ſed eſſentiam habet, intelligitur ſignificare.

3. Ratio itaque formalis entis Metaphyſici, eſt entitas ſeu eſſentia realis, per quam primo & intrinſece res conſtituitur, & quæ primo in ipſa concipitur.

4. Neceſſitas & contingentia ſunt entis modi ſpeciales duntaxat, & neutra eſt conditio entis in univerſum, quod Metaphyſicæ eſt conſiderationis.

5. Ens igitur Metaphyſicum abſtrahit a neceſſitate, aut contingentia.

6. Quamvis igitur ſcientiæ conditio ſit, ut circa τὸ ὂν verſetur, ex Ariſt 2. Poſt. text. 104. non tamen omnis ſcientia circa ens neceſſarium verſabitur.

7. Quod itaque communiter ſcientia de rebus neceſſarijs eſſe dicatur, aut de complexa neceſſitate; aut etiam ſimplici, ſed tantum ex

ſup-

ſuppoſitione intelligendum eſt: nam omnia entia ſi quatenus entia conſiderentur, neceſſitatem aliquam confuſe important.

3. *Metaphyſica eſt ſcientia circa ens abſtractum a materia ſecundũ eſſe, ſive actu, ſive per indifferentiam, vt ſcholæ Metaphyſicorũ ſententia communis eſt.*

1. Non igitur tantum entis in communi, ſed & ſubſtantiæ & accidentis rationes, Metaphyſicæ ſunt conſiderationis.

2. Imo ſi omnes rationes Metaphyſicas velimus accuratius rimari, plurimæ etiam multo contractiores eſſe deprehendentur, ut ſunt omnes viventis, & intelligentis rationes, quæ a rebus materialibus & immaterialibus abſtrahuntur.

3. Etſi igitur Metaphyſica non attingat ſpecies entis ſecundum particulares rationes, quatenus in ſcientijs particularibus conſiderantur: (nam ubi hæ incipiunt, ibi definit Metaphyſica) deſcendit tamen ad ſpecies entis omnes, quæ ſecundum propriam abſtractionem conſiderari poſſunt.

4. Idcirco concludimus cum Ariſt. Metaph. γ. β. unam Metaphyſicam & ens, quatenus eſt ens, & ſpecies ipſius, & ſpecies ſpecierum ſpeculari.

IV. *Quicquid entitatem habet, ens eſt, ſecundum actum entis eſſentialem.*

1. Ergo ens in communi, intrinſece includitur in omni particulari, tam incompleto, quam completo, tam differentia, quam modo aliquo entis reali.

2. Ergo ens in communi, nullorum entium genus eſt Metaph. β. γ.

3. Contractio igitur & determinatio entis ad ſubſtantiam & accidens, non eſt per modum compoſitionis ex genere & differentia.

4. Summa igitur genera, ne Metaphyſice compoſita ſunt.

5. Sicut igitur conceptus entis, ita & ſpecierum ipſius ſimplices ſunt, & tantum vt minus & magis determinati diſtinguuntur.

6. Poteſt itaque conceptus ſuperior includi in inferiori, ut conceptus entis in conceptu ſubſtantiæ, ſine propria compoſitione inferioris.

7. Quidquid igitur includit vnum, id alterum includit: & per conceptum entis, res ſolum confuſius ſecundum aliquam convenientiam cum alijs rebus: per conceptum vero ſubſtantiæ, eadem, ſed expreſſius ſecundum proprium modum prout in ſe eſt, concipitur.

8. Atque hinc eſt, quod tantum genera ſumma, nulla autem ijs inferiora, proprie primo diverſa, & ſeipſis ſimpliciter diverſa eſſe dicantur.

FINIS.